

dente C. si fuerit particularis, qui propositum universale non fundet N. Ideo non potest deduci par ratio a confessione non integra materialiter: nam integritatem istam sæpe de industria omittens vere absolvitur et gratiam sacramenti obtinet; quod nemo dixerit licere de dolore particulari. Deinde dolor universalis et detestationem omnium peccatorum in confessione omissorum, et propositum vitandi omnia etiam ignota complectitur; quæ omnia particulari dolori desunt.

## CAPUT IV.

## DE CONFESSIOE PARTE ALTERA SACRAMENTI POENITENTIAE.

## ARTICULUS I.

## DE PRÆCEPTO ECCLESIASTICO CONFITENDI.

180. *Nota.* Sicut fides et caritas, ita poenitentia quoque virtus præcipitur lege naturali, quæ secundum se quidem præit legem Dei positivam, per quam virtutis ejusdem exercitium imperatur. E contra lex confitendi sua peccata et poenitentia sacramentum obeundi solum est positiva; neque dici potest naturalis, nisi in quantum natura dictat, adhiberi oportere media a Deo ad salutem obtinendam injuncta. Tale vero medium ex divina ordinatione præscriptum esse confessionem, fuse probavimus cap. 1. fere toto hujus disputationis. In præsens autem quæritur, quos et quando lex ista obliget ex determinatione Ecclesiae aut necessitatis?

181. *Dico.* Lege ecclesiastica usus confessionis fidelibus certo tempore præcipitur.

*Prob. I.* Canon 21. magni Concilii LATERANENSIS an. 1215. sub INNOCENTIO III. celebrati ita habet (Labbe. t. 11. p. 173. A.): *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio sacerdoti, et injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere.* Eadem lex approbatur a Conc. TRID. Sess. 14. cap. 5. et can. 8. damnantur oppositum suadentes.

*Prob. II.* Præceptum confessionis annuæ dudum jam ante Concilium istud LATERANENSE vigeat. Nam B. JOAN. CHRYSOSTOMUS hom. 30. in Genes. (opp. t. 4. p. 294. A.) quam in majore hebdomade habuit, monet suos, *faciendam tunc esse puram et diligentem peccatorum confessionem*, ut pluribus ejus verba recitavimus supra n. 103. ad Inst. 4. Sonnatius Archiepiscopus Rhemensis in Ecclesiae suæ statutis, et Theodulphus Aurelianensis Episcopus in Capitulari ad suæ diocesis Episcopos cap. 36. (patrol. t. 105. p. 203.) tempus Quadragesimæ huic confessioni assignant, seculo nono.

Regino Prumiensis abbas seculo decimo, L. 1. de Ecclesiasticis disciplinis cap. 57. et 288. feriam quartam ante Quadragesimam ab Episcopis et Presbyteris, ait, plebi Christianæ præscribi oportere, *ut cum omni humilitate et contritione cordis omnis simpliciter confessus, suscipiat remedia poenitentia*, etc. Et L. 2. c. 63. monet sciscitandum ex laicis, *si ad confessionem non veniat, vel una vice in anno, et poenitentiam pro peccatis suis suscipiat*, etc.

Seculo eodem Ratherius Episcopus Veronensis in synodica ad Presbyteros per universam diocesis constitutos, *Feria quarta*, inquit, *ante Quadragesimam, plebem ad confessionem invite*, etc. (patrol. t. 136. p. 562.)

Undecimo seculo Burchardus Wormatiensis Episcopus L. 16. Decretorum cap. 2. statuit, monendos esse populos, ut feria quarta ante Quadragesimam confessionem accedant.

Odo Parisiensis Episcopus, in statutis vetuit, ne quis ultra annum confessionem suam differat, tomo 6. Bibliothecæ PP. Binii, et tomo 10. Conciliorum.

Imo S. Chrodegangus Episcopus Metensis in Regula cap. 32. tom. 3. Spicilegii (et Patrol. t. 89. p. 1072. A.), præceperat jam seculo octavo, ut ter per annum populus fidelis suam confessionem suo sacerdoti faciat. Ex hac doctrina

*Conficitur 1º.* Nondum baptizatos lege ista non adstringi; cum nec sint proprie fideles, nec peccata ipsorum subsint clavibus Ecclesiae, neque possint subijci etiam post baptismum susceptum.

*2º.* Lex ista ligat omnes baptizatos mentis compotes et gravis peccati reos, atque ipsum etiam summum Pontificem saltem quoad vim directivam: exigit enim lex naturæ, ut caput membrum conformetur in iis, quæ ipsi et membrum sunt communia.

*3º.* Ait decretum Concilii Lateran. *Qui ad annos discretionis pervenerint: quare amentes et parvuli, qui nondum contraxerunt peccata mortalia, nec possunt exhibere actus poenitentia*, canone isto non comprehenduntur.

*4º.* Canon illi sunt obnoxii, qui conscii sunt sibi peccati lethalis; nam venialia confiteri nemo tenetur, ut habet Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 5. sub finem monens, Ecclesiae præcepto designari tantum tempus, quo tenemur confessionem jure divino necessariam facere: atqui jure divino nemo tenetur ad confessionem noxarum venialium, aut eorum mortalium, quæ semel jam pro confessione fuit legitime absolutus; ergo.

*5º.* Præcepto isti non satisfacit per confessionem sacrilegam: Ecclesia enim præcepto divino implendo tantum assignavit tempus; igitur non satisfacit præcepto ecclesiastico, qui non implet divinum præceptum, quod jubet, peccata sacramento confessionis expiari. Vide 14<sup>am</sup>. propositionem ex damnatis ab Alexandro VII. Quod si daretur confessio sacramentalis valida et informis, defectu doloris se extendentis ad peccata, quorum poenitens non reminiscitur, ea satisfaceret præcepto Ecclesiae, quæ tantum requirit, ut hoc sacramentum bona fide suscipiatur, perceptionem autem fructus non imperat. Ita Ecclesiae præcepto satisfacit, qui in statu peccati missæ assistit, etsi ejus fructum non percipiat: nec enim fructus missæ præcipitur, sed reverens ejus auditio, licet etiam hæc præcipiatur ob fructum, tanquam propter finem legis extrinsecum, qui sub præceptum non directe cadit.

*6º.* Rite confessus mortalia clavibus nondum subjecta satisfacit præcepto

Ecclesiæ de confessione annua, etiamsi mortale aliquod ex oblivione aut justa de causa omiserit, eo quod divino præcepto satisfecerit. Secus res haberet, si mortalia clavibus jam rite subdita, aut venialia tantum confitendo recitasset: recordatus enim peccati lethalis, quod in confessione exciderat, aut legitime fuerat omisum, teneretur ad ejus confessionem anno eodem præstandam, quia non satisfecit præcepto divino, quod est tantum de peccatis mortalibus exponendis, quæ clavibus nondum rite fuerunt subjecta.

7º. Eandem ob causam lapsus demum in peccatum mortale tenetur ad ejus confessionem præcepto ecclesiastico faciendam anno eodem, etiamsi antea sæpius venialia, quæ solum perpetraverat, confessus fuisset. Quod si semel mortalis peccati, in quod cecidit, se legitime accusasset, ad aliorum confessionem, quæ anno eodem commisit, præcepto Ecclesiæ non adstringitur.

8º. Tametsi confessio sub tempus paschale instituta valde probetur a Tridentino Concilio Sess. 14. cap. 5.; qui tamen alio tempore confessus fuerit, nihil amplius debet legi ecclesiasticæ de confessione annua: nisi Concilium provinciale decreto speciali ad id festum executionem præcepti restrinxerit.

9º. Quilibet tenetur confiteri in mortis articulo, aut in morali periculo nunquam postea implendi præceptum confessionis: nec tamen quisquam obligatur ad istud præstandum scripto vel per interpretem: utraque enim confessio ista publica est, quæ non præcipitur. Ita Theologi communiter cum Cardinale Toletio.

10º. Qui toto anno confiteri neglexit, tenetur prima die anni sequentis, si potest, aut prima data opportunitate confiteri; nam præceptum hoc non est ex iis, quæ cum tempore præscripto expirant, ut præcepta jejunandi, recitandi horas canonicas, celebrandi festa: sed præscribit solum terminum, ultra quem executio præcepti divini differenda non sit. Licet ergo finis anni sit terminus, ultra quem confessionem differri non licet; terminus tamen non est, quo cesset obligatio, cum sit tantum determinatio præcepti divini, declaretque, obligationem talem esse, ut confessio ultra differri non debeat. Igitur talis evolutio anno deinceps et continenter peccat, donec confiteatur, cum confitendi obligatio tantum non expiret, ut crescat etiam. Quod si sola prioris anni peccata confessus, postmodum in alia gravia reciderit, ad iteratam horum confessionem, qua hujus anni præcepto satisfiat, obstringetur. Cur autem non ad tres confessiones tenebitur, qui tribus annis præceptum confitendi neglexit? R. Quia una confessione jubetur exprimere peccata omnia, quæ postea non sunt amplius materia necessaria confessionis.

182. *Obj. I.* Etiam non baptizati divino præcepto ad sacram Eucharistiam tenentur; ergo etiam ad sacramentum confessionis.

R. *N. Cons.* Non baptizati tenentur Christi præcepto suscipere baptismum et sacram communionem, cujus statim evadunt idonei: poenitentia autem sacramenti nemo capax est, nisi post baptismum peccaverit.

183. *Obj. II.* Si pueri rationis usum assecuti ecclesiastico præcepto adstringantur ad confessionem annuam peccatorum mortalium, ergo etiam subibunt poenas neglecti hujus præcepti, quæ capitulo *Omnis utriusque*,

indicantur; nempe quod viventes ab Ecclesia arcendi sint, et mortui careant sepultura ecclesiastica.

R. *N. Cons.* Excipiuntur capp. 1. et 2. Extra, de delictis puerorum. Quamquam ne adultis quidem, nisi ad arbitrium Episcopi poenæ illæ, aliæque statutis synodice decretæ infligantur prævaricatoribus legis illius ecclesiasticæ.

## ARTICULUS II.

## DE QUALITATE CONFESIONIS.

184. *Nota.* Queritur cum hæreticis aliis Calvinus, a Concilio illo Lateranensi magno demum fidelibus laqueum confessionis injectum fuisse: et Dallæus Genevensis Minister convitiatur, invecam ab Innocentio III. esse servitatem immanem et inauditam, ac ne a sævissimis quidem tyrannis unquam tentatam. Sed impudens mendacium istud confutatur testimoniis S. Scripturæ et antiquitatis universæ, queis constat, ex divina Christi institutione confessionis sacramentum ex perpetuo Ecclesiæ usu ad nos usque pervenisse: Ecclesiam vero ipsam hac in re aliud nihil ordinasse, quam quæ ad disciplinam pertinent, dum tempus duntaxat fidelibus præscripsit, quo sacramentum istud obire debent: atque istud pluribus ante Lateranense Concilium et ipsum Innocentium III. a Conciliis et Episcopis fuisse præstitum, nuper in secunda probatione conclusionis demonstravimus. Restat jam, ut de ejusdem confessionis qualitate, quantitate, aliisque proprietatibus breviter pro nostro instituto agamus.

185. *Dico I.* Ad Confessionis sacramentalis essentiam non requiritur, ut sit secreta. Ita post Alexandrum, S. Thomas quodlib. 1. art. 10. et in 4. d. 17. q. 3. a. 4. q. 3. ad 2., et in eadem dist. Joan. Major, Richardus, Paludanus et Theologi passim contra Scotum ead. dist. q. unica art. 3., Gabrielem q. 1. a. 2., et Angelum verbo *Confessio* 1. num. 39., qui putabant, secretum esse de essentia sacramentalis confessionis; quandoquidem peccata cordis sunt secreta.

*Prob. I.* Conditio ista non exigitur ex necessitate sacramenti; nam ad hoc solum opus est accusatione ex vero animi dolore profecta, qua sacerdoti sufficiens detur notitia ad judicandum de peccatis ac de statu poenitentis: atqui ad talem accusationem nihil refert, utrum publica sit, an privata; ergo.

*Prob. II.* Neque secreta confessio necessaria est ex præcepto aliquo. Si enim Christus solam confessionem secretam instituisset, non potuerat Ecclesia approbare confessiones publicas, et eas poenitentium arbitrio committere, ut olim fecit, et Concilium Tridentinum adhuc probat Sess. 14. cap. 5.

186. *Dico II.* Ad confessionis sacramentalis substantiam non pertinet, ut voce fiat. Ita S. Thomas nuper cit., cui consentiunt cæteri Theologi.

*Prob. S. Leo* epist. 91. (al. 108. ad Theodorum episcop.) ait, absolvendos esse moribundos, qui solo nutu confitentur, vel quos testantur alii confessionem petiisse. Idem habetur ex Can. 12. Concilii ARAUSICANI I. (Labb.

t. 3. p. 1449. E.) et ex Rituali Romano a PAULO V. edito et proposito toti Ecclesiae, quod nimirum contineat receptos et approbatos Ecclesiae ritus, et quo hortatur omnes, ut tanquam Ecclesiae filii illud observent; utpote Romanæ Ecclesiae omnium matris et magistræ auctoritate constitutum.

*Conf. 1.* Potest poenitens causam suam sacerdoti æquè aperire per signa alia; ergo dici non debet, medium istud confessionis adeo necessarium ad verba formalia sola, quæ pluribus sæpe desunt, esse alligatum.

*Conf. 2.* Accidit subinde, ut poenitens vocis usu destitutus, non solum possit, sed etiam teneatur in articulo necessitatis per signa alia confiteri, per se loquendo, eo quod hæc sint materia indubitata, et facile ac sine indecentia exhiberi possint.

187. *Dico III.* Confessio facta absenti per litteras aut signa alia valet, ita ut sacerdos teneatur talem præsentem, si aliter amplius confiteri nequeat, in mortis periculo absolvere. Ita B. Thomas et Theologi complures, quos laudat et sequitur Suaresius disp. 21. sect. 3.

*Prob. I.* Talis revera accusat se apud sacerdotem peccatorum suorum, ut ab illo absolvatur: atqui ejusmodi accusatio sufficit in casu necessitatis; ergo. *Prob. min.* Ex verbis institutionis solum habemus, ut poenitens sacerdoti aperiat causam suam; quod quidem variis signis in necessitate fieri potest. Neque extat præceptum divinum aut ecclesiasticum, quo accusationis hujus essentia ad solum sermonem humanum formaliter talem adstringatur. Neque etiam expediebat, medium salutis adeo necessarium arctari ad signum illud solum, quod in necessitatis articulo toties deficit. Igitur cum litteræ signa sint admodum clara sermonis humani, confessioni præ aliis omnibus in necessitate subserviunt.

*Prob. II.* Juxta indubitatam doctrinam S. Thomæ opusculo 65. S. Antonini, Paludani, Silvestri, aliorumque Thomistarum veterum, cum Scoto, potest moribundus sensibus destitutus absolvi a sacerdote præsentem, modo per testes constet, ipsum prius poenitentiae signa dedisse: atque etiam debere absolvi constat tam ex epist. 91. LEONIS M. relata Can. *His qui in tempore*, 26. q. 6., ex Concilio ARAUSICANO I., et Rituali PAULI V. citatis conclus. 2<sup>a</sup>., quam etiam ex Concilio CARTHAGINENSI IV. Can. 76. (Lab. t. 2. p. 1206. A.), CARTHAGINENSI III. Can. 34. (Lab. t. 2. p. 1172. A.), item ex Can. *Qui recedunt*, 26. q. 6., et c. *Ægrotantes*, de Consecr. d. 4. Ergo recte concludimus, valere confessionem per litteras factam in necessitate.

188. *Dico IV.* Confessio non redditur invalida a vanæ gloriæ pruritu, aliove ab affectu venialiter malo.

*Prob.* Ad veram et validam confessionem exigitur legitima declaratio suorum peccatorum sacerdoti facta, cum vera de iis contritione: atqui hæc duo possunt esse, licet affectus vanæ gloriæ, aut alius venialiter malus se clam insinuet; ergo.

189. *Dico V.* Mendacium non reddit irritam confessionem, nisi quando in materia confessionis fuerit peccatum mortale.

*Ratio patet:* nam si quis negaret se fecisse peccatum veniale, quod revera fecit, aut mortale, quod olim confessus jam fuerat, aut aliunde confiteri

non tenetur, hic neque peccatum grave committeret mentiendo, nec ulli gravem inferret injuriam; ergo ex hoc solum capite confessio non redderetur invalida, modo sufficientem absolutioni materiam et dolorem afferret.

E contra qui se accusat peccati mortalis, quod non fecit, aut qui negat tale, quod confiteri deberet, decipit in causa gravi confessarium, ejusque judicium, quod de confitentibus ferre debet, confundit: atque inde hoc novo peccato sacramentum reddit irritum.

Quod idem tenendum de eo, qui confessus veniale peccatum, quod non admisit, aliud peccatum abs se vere commissum non adjicit, mendacio illo in speciem levi subduceret sacramento materiam, ac lethali se crimine obstringeret. Quod tamen non contingeret, si peccatum aliud re ipsa perpetratum simul cum dolore confiteretur: ita enim nemini gravem injuriam inferret.

Denique si quis generalem exomologesin faciens, peccatis mortalibus olim jam rite confessis, misceret alia, quæ nunquam antehac confessus fuit, neque hujus rei moneret sacerdotem, aut interrogatus veritatem celaret, sine dubio peccatum grave et poenitentiam irritam faceret, cum foret in causa, quo minus sacerdos judicium prudens, tam de danda absolutione, quam de satisfactione præstanda ferret.

190. *Obj. I. contra 1<sup>am</sup> concl.* Synodus TRID. Sess. 14. cap. 5. ait, confessionem secretam non esse alienam a divino mandato, nec inventum esse humanum. Et cap. *Omnis utriusq.* præcipitur, ut soli sacerdoti confessio fiat; ergo confessio publica non probatur ab Ecclesia.

*R. N. Cons.* Synodus TRIDENT. tantum statuit, aliquam confessionem sive secretam, sive publicam a Christo præceptam fuisse, nec eam esse inventum humanum, ut calumniabantur hæretici, quos can. 4. 6. 7. et 8. condemnat. Concilium vero LATERANENSE, cap. *Omnis utriusque*, solum monet, confessionem secretam duntaxat exigi posse, eaque satisfieri divino præcepto. Recte tamen Suaresius tradit, nemini sine causa gravi confessionem publicam faciendam, aut permittendam esse.

191. *Obj. II. contra 2<sup>am</sup> conclus.* In Decreto EUGENII in Concilio FLORENTINO edito, §. *Quartum*, pars materialis hujus sacramenti dicitur *confessio oris*; ergo ad essentiam hujus partis opus est sermone humano.

*R. N. Cons.* Ita appellatur, quia plerumque solet, ac debet ore fieri confessio, nisi gravis necessitas suadeat, nutu, scripto, aut signis aliis eam peragi. Quam ob rem Concilium TRIDENTINUM Sess. 14. cap. 5. solum *confessionem*, omitta voce *oris*, pronuntiat *jure divino necessariam omnibus post Baptismum lapsis*. Quod si ex cap. 3. ejusdem sessionis, ubi *verba ministri* sacramenti hujus forma dicuntur; absolutionem verbis propriis fieri tantum debere, expressimus: non continuo ex Eugenii Decreto sequitur, æque ad confessionem verba proprie talia requiri; cum alia longe sit ratio materiæ sacramentorum, alia formæ.

192. *Obj. III. contra 3<sup>am</sup> conclus.* S. LEO et Patres alii, hac et præcedente conclusione citati loquuntur tantum de absolutione a censura ecclesiastica,

non vero de absolutione sacramentali; ergo illorum testimonia ad rem præsentem nihil attinent.

R. N. Ant. Tametsi Patres quidam loquantur tantum de absolutione ab excommunicatione, ac præsertim S. CYPRIANUS epist. 13. (al. 12. ad clerum, de lapsis) ubi ait, in simili eventu diaconum posse reconciliare ægrotum pœnitentem, *facta exomologesi*; quos tamen laudavimus, Patres et Pontifices non speciatim de excommunicatis, neque de publice pœnitentibus agunt, sed absolute et simpliciter de fidelibus et peccatoribus, declarantque illius pœnitentiæ et absolutionis tantam esse necessitatem, ut ex ejus defectu damnari homines possint: quod de absolutione a censuris verum non est. Deinde Patres iidem utuntur voce pœnitentiæ, eamque appellant *actionem sacerdotis, satisfactionem, actionem pœnitentis*, quibus non solet significari absolutio a censura, vel alia ceremonialis, sed verum sacramentum. Imo LEO M. expresse dicit, pœnitentiam dandam esse a sacerdote vi potestatis acceptæ per illa verba: *Quorum remisistis peccata*, etc. Merito ergo hanc Soti et Cani exceptionem rejecimus, cum S. Thomas ipse q. 84. a. 3. ad 2. verba LEONIS M. de reconciliatione sacramentali interpretetur.

Inst. 1. Rituale PAULI V. non habet majorem approbationem, quam libri cæteri cum licentia Romani Pontificis editi; ergo.

R. N. Ant. cujus falsitatem arguunt protestationes ipsius Pontificis in conclusione recitatæ, quibus addit, se Rituale hoc edere, sicut PIUS V. et CLEMENS VIII. Breviarium, Missale et Pontificale ediderant: atque hoc negotium proprio et maturo consilio, ac studio præstantissimorum Cardinalium et aliorum Doctorum fuisse transactum.

Inst. 2. Propositionem istam: *Licet per litteras sive internuntium confessario absenti peccata sua sacramentaliter confiteri, et ab eo absente absolutionem obtinere*, damnavit CLEMENS VIII. ut falsam, scandalosam et temerariam quoad utramque partem conjunctim et divisim, et contrariam interpretationem rejecit, prout idem Pontifex in congregatione Inquisitionis Romanæ declaravit 6. Jun. 1684. referente Petro Lombardo Archiepiscopo Armachano epistola data ad Ægidium Coninc S. J. Theologum, cujus exemplar ipse Ægidius recitat in libello apologetico, qui inscribitur: *Responsio ad dissertationem impugnantem absolutionem moribundi sensibus destituti*. Imo PAULUS V. die 14. Julii 1605. idem quod CLEMENS VIII. declaravit, et contrariam Suaresii opinionem jussit expungi ex tomo ipsius IV. in 3. p. S. Thomæ sect. 4. disp. 21., ergo.

R. N. Cons. Idem CLEMENS VIII. postea rogatus respondit, se hunc casum moribundi nec intendisse, neque decreto suo comprehendere; seque ipsum, si adesset tali moribundo, absolutionem impertiturum: quod an. 1608. 16. Aprilis Patri Florentino S. J. Belgicæ Provinciali Præposito, et Leonardo Lessio, Romæ tum agentibus, testati sunt Cardinalis Bellarminus et Petrus Lombardus Armachanus Hiberniæ Primas, qui etiam hujusce rei testimonium propria manu subscriptum imprimis dicto P. Florentino, tum Doctoribus quibusdam Lovaniensibus tradidit. Porro CLEMENS VIII. S. LEONI aliisque Patribus, et PAULUS V. suomet Rituali contradicere nec voluerunt, nec potuerunt. Et Petrus Armachanus ait, non impune ab se laturum parochum, qui ægroto tali absolutionem negasset.

Inst. 3. EUSEBIUS Papa scribit (Labb. t. 1. p. 1392.), eo casu sacerdotem debere orare super ægrotum, nulla facta absolutionis mentione.

R. Dictum jam sæpe fuit, precum nomine a Patribus intelligi formas sacramentorum. Quanquam epistolæ illæ non sint EUSEBII Papæ, sed impostoris cujusdam, ut vel inde patet, quod in iis fuse tractetur de inventione S. Crucis et festo ejus ab EUSEBIO instituto: atqui EUSEBIUS jam obiit an. 311. Crux autem demum sub SILVESTRO Papa an. 326. inventa fuit.

## ARTICULUS III.

## QUANDONAM SUFFICIAT CONFESSIO INTEGRA FORMALITER TANTUM?

193. Nota. Materialiter integra confessio dicitur, in qua omnia peccata mortalia distincte secundum suas species et numeros exprimuntur: quod si quis ex causa legitima generatim tantum sese peccatorum suorum accuset, vel unum et alterum reticeat, aut circumstantiam cæteroque necessariam supprimat, erit confessio formaliter tantum integra. Utrum ista aliquando ad hoc sacramentum sufficiat, nunc inquirimus: nam materialiter integram per se requiri, constat ex hactenus dictis, et ex dicendis infra constabit.

194. Dico. Ad beneficium absolutionis obtinendum sufficit confessio formaliter tantum integra, quando obstat impotentia physica vel moralis, quo minus pœnitens confessionem materialiter integram præstet. Ita communiter Theologi.

Pars 1<sup>a</sup>. quoad naturalem impotentiam jam satis probata est articulo proxime præcedente, ubi ex Patribus et Conciliis docuimus, ad absolutionem moribundo impertiendam sufficere, si is aliqua tantum peccata proferre possit, aut petierit confessarium, aut signa alia doloris ediderit. Talis enim facit, quod ab ipso in ejusmodi circumstantiis præstari ac prudenter exigi potest: et quamvis non edat confessionem distinctam et perfectam de peccatis singillatim, peragit tamen inchoatam et largius sumptam de peccatis generatim et confuse indicatis, quatenus se peccatorem declarat, et absolutionem postulat.

Obstaculis impotentiae naturalis accensetur etiam oblivio aut ignorantia inculpata alicujus peccati lethalis, teste ipso Concilio TRIDENTINO Sess. 14. cap. 5., neque ad oblivionem istam aut ignorantiam cavendam tenetur quisquam peccata sua scripto consignare; nisi forte quis ita stolidus sit, ut nullum omnino peccatum memoria tenere possit. Mutos tamen qui non omnia peccata nutibus possunt exprimere, et scribere norunt, aut confessuros sacerdoti surdo ad id præstandum obligari docet Suarez cum pluribus aliis; eo quod diligentia ista respectu talium hominum non censeatur extraordinaria.

Pars 2<sup>a</sup>. itidem ratione communi asseritur, quod præcepta ista affirmativa non obligent cum gravi proprio aut alieno incommodo vitæ, famæ, aut fortunarum: quæ quidem distinctius enarrantur in Theologia morali.

Istud solum hic addo, nemini unquam licere detegere in confessione occultum peccatum alienæ personæ, quæ non fuit complex in eodem pec-